

ut constat ex communi sensu omnium, et ex ipsa vocum significatione, nam permissum abstrahit, seu præscindit a voluntario et involuntario, sed in eo casu talis effectus solum est permissus, seclusa obligatione, et ideo non imputatur ad culpam etiamsi malus sit. Item ille effectus non est volitus in se, ut constat, neque in alio, quia non continetur virtute in illo: ergo nullo modo est volitus: ergo ex hoc capite non est voluntarius, unde neque esse potest a voluntate tanquam a causa, quia voluntas nihil causat nisi volendo; item quia mere per accidens sequitur ex eo, quod voluntas vult: secus vero est si superaddatur voluntas transgrediens tale præceptum, censetur etiam causa moralis effectus subsequenti, et ideo illi attribuitur tanquam voluntarie causanti, non enim est causa omnino necessaria, aut naturalis, est ergo voluntaria. Ratio vero reddi potest, quia ratione præcepti illa causa, et effectus ex illa secuti, quamvis physice tantum per accidens connectantur, nec unum sit causa alterius: tamen moraliter censetur habere rationem unius objecti disconvenientis, seu evitandi a voluntate, et ideo voluntas unius censetur virtualis voluntas alterius. Item addi potest, quod non existente præcepto, effectus, qui omnino per accidens sequitur, non pertinet ad voluntatem: ratione autem præcepti pertinet ad illam moraliter, quia tenetur vitare illud quoad possit, et ideo si non faciat, censetur moralis causa illius.

10. Unde non obstat objectio, n. 7, facta, quia licet præceptum videatur quid extrinsecum, tamen illo posito fit moralis quædam mutatio in objecto, ratione cuius est in illo major connexio moralis, quam esset, secluso præcepto, et ita etiam magis pertinet ad operantem: et quamvis prius sit esse voluntarium, quam esse culpabile, non tamen semper est prius, quam esse præceptum, loquendo de voluntario in actu secundo, ut loquimur: nam præceptum supponit quidem quod ille cui imponitur, sit capax voluntariæ operationis. Potest tamen esse ratio, quod aliquid reputetur moraliter voluntarium in actu secundo, quod sine præcepto non reputaretur, quatenus ex præcepto mutatur habitudo moralis objectorum, tam inter se, quam in ordine ad operantem.

11. *Primum consecrarium ex dictis.* — Ex quo intelligitur primo ad hoc voluntarium non satis esse quodcumque præceptum, quod sit veluti extrinsecum, et per accidens ratione talis operationis, sed necessarium est præceptum,

quo quis teneatur vitare ne inde sequatur alius effectus, quia huiusmodi præceptum est, quod facit prædictam moralem mutationem in objecto, et non quodlibet aliud: ut si quis teneatur abstinere a cibo ratione præcepti Ecclesiastici, non vero ne sequatur inde, verbi gratia, pollutio nocturna, quamvis transgrediatur præceptum jejunii, non ideo censebitur voluntaria talis pollutio, nec tenebitur illam vitare propter vitandum alterum effectum, sed aliunde.

12. *Secundum consecrarium.* — Secundo colligo ex omnibus dictis posse eundem actum, esse voluntarium in alio causaliter, et tamen esse in se involuntarium objective, ut si quis actu directo omnino nolit hominem occidere, et tamen velit emittere sagittam non adhibita sufficienti diligentia, ne hominem occidat, tunc enim homicidium si fieri contingat, est in se involuntarium formaliter ratione prioris actus, et tamen est voluntarium in alio, et virtualiter, ratione posterioris actus. Et ratio est, quia illi duo actus in se non sunt formaliter contrarii, et alioqui cum voluntas sit libera, quamvis nolit homicidium, potest non applicari actu ad exhibendam diligentiam necessariam ne sequatur homicidium: et ideo dixi illud esse involuntarium objective potius quam causaliter.

13. *Quinta divisio.* — Ultimo dividitur voluntarium in directum et in indirectum. Directum est illud, in quod directe tendit voluntas per actum suum, et ideo in eo explicando nulla est difficultas. Indirectum vero quadam generali significatione dici solet omne illud, quod moraliter censetur esse a voluntate, ac si illud expresse vellet, quamvis ipsa non eliciat proprium actum, quo illud velit, et in hoc sensu etiam voluntarium in alio, de quo hactenus dictum est, dici potest indirectum, quia voluntas non recta tendit in illud, sed per aliud nos vero in hac divisione strictius sumimus voluntarium indirectum, ut sit illud, quod est a voluntate volente, et operante per actum positivum, sive id sit immediate, seu virtute, et de hoc indirecto voluntario est specialis difficultas, sequenti sectione, tractanda.

SECTIO V.

Utrum sit aliquod voluntarium indirectum, quod actum voluntatis non requirat; et quid sit ad illud necessarium?

1. *Exponitur quæstio.* — Hæc quæstio videtur coincidere cum alia, quam D. Thomas

attigit, 1, 2, quæst. 75, art. 5, utrum possit esse omissio sine actu: sed quamvis sint similes, non tamen sunt omnino eadem, tum quia hic non agimus de sola omissione, seu privatione, sed etiam de effectibus, seu actibus positivis: tum etiam, quia omissio, ut ibi sumitur, includit rationem culpæ, hic autem voluntarium abstrahit a culpa: est ergo quæstio diversa, quamvis ex resolutione præsentis quæstionis pendeat alterius resolutio. Aliqui theologi, quos sequitur Vasquez, 1, 2, disp. 93, cap. 2, opinati sunt, non posse aliquid esse voluntarium sine actu positivo voluntatis, quia si hoc voluntarium, de quo agimus, non est in actu primo, sed secundo, non potest esse sine aliquo actu secundo: item si voluntas antea non volebat, sed nunc vult, sive id sit directe, sive indirecte, necesse est esse mutatam, non mutatam autem nisi per actum. Denique ita videtur sentire divus Thomas, dicta q. 75, art. 5, ubi negat posse esse omissionem sine actu, ubi in eandem sententiam citari solent Alensis, Henricus, Adrianus, Capreolus.

2. *Sententia auctoris in hac prima parte tituli.* — Nihilominus dicendum est, per se loquendo, et ex vi voluntarii non repugnare aliquando esse sine actu per solam liberam suspensionem actus, ita divus Thomas, 1, 2, quæst. 6, art. 3, et omnes Thomistæ, Almainus, tract. 1, Moral., cap. 1. Et probatur, quia libertas voluntatis includit potestatem agendi et non agendi: ergo cognito objecto, quod necessitatem illi non inferat, potest non operari ex vi suæ libertatis: ergo illa carentia actus est in voluntate ex libertate ejus: erit ergo voluntaria: tum quia est libera, et liberum supponit voluntarium: tum quia eo modo, quo est, oritur ab intrinseca potentia voluntatis ex cognitione: ad huiusmodi autem suspensionem actus, non requiritur actus, sed satis est carentia influxus: non ergo ad omne voluntarium est necessarius actus. Confirmatur, nam talis suspensio actus sit contra præceptum, quo quis teneatur velle, vel operari, est culpabilis: ergo est voluntaria, quia voluntarium est de intrinseca ratione culpæ. Nec D. Thomas est sibi contrarius, prædicto enim art. 3, explicuit quid per se et formaliter requiratur ex vi voluntarii, in alio vero loco declaravit, quid de facto accidat, moraliter loquendo, in humanis actionibus. Neque rationes dubitandi urgent, quia huiusmodi voluntarium indirectum non intelligitur per modum actus secundi positivi, sed potius per modum privationis ejus, ad quam sufficere potest aliqua mutatio in operante,

quamvis ipsa non sit physice in voluntate, sed tantum moraliter, ut jam explicio.

3. *Disseritur secunda pars tituli.* — Superest enim ulterius inquirendum, quid sit necessarium, ut voluntas aliquid velit hoc modo indirecto. Et imprimis conveniunt omnes necessariam esse aliquam cognitionem, seu advertentiam ex parte intellectus propter rationes factas in præcedenti sectione, in quarta divisione, quod intelligendum est juxta ibi dicta: atque hinc fit, ut non omnis carentia, seu negatio actus liberi censeatur voluntaria, quia non cadit sub cognitionem, nec de illa semper actus cogitamus. Secundo etiam est certum necessarium esse, ut sit in potestate voluntatis, quidquid est indirecte voluntarium, quia quod non est in potestate voluntatis, non est ab illa: non ergo illi attribui potest tanquam volenti, et causanti illud, quæ duo diximus esse de ratione voluntarii prout de illo agimus.

4. *An requiratur præceptum ad voluntarium indirectum.* — Solum est controversia, an requiratur etiam præceptum, quo quis teneatur facere, quod voluntarie indirecte omittit. Nam D. Thomas, 1, 2, quæst. 6, hanc conditionem requirit, et Cajetanus ibidem, et in quæst. 18, art. 9. Probatur, nam si contingat mori proximum ex defectu alimenti, cui ego subvenire possem, sed non obligabar, quia ego indigebam, tunc illa mors non est mihi voluntaria, quia licet possem illam vitare, non teneor, tenebar ergo. Aliud commune exemplum est, quia peccatum non est voluntarium Deo, et si possit impedire illud, et non faciat, solum quia non tenetur: est ergo hæc conditio necessaria. Et ratio esse potest, quia tunc effectus non est directe volitus, neque etiam interpretative, et secundum moralem existimationem, alioqui imputaretur volenti: at vero voluntarium indirectum solum esse videtur per quamdam moralem interpretationem. Alii non existimant esse præceptum necessarium ad hoc voluntarium indirectum, sic Almainus supra: quia aliud est imputari, vel non imputari ad culpam, aliud vero esse voluntarium: primum pendet ex præcepto, secundum autem minime, tum propter rationes adductas in simili puncto, sectione præcedenti: tum etiam, quia, qui potest et sciens, ac videns non facit, sponte sua omittit, etiamsi facere non teneatur: ergo voluntarie. Item libere omittit, quia non ex necessitate: ergo voluntarie, ab inferiori ad superius affirmative.

5. Alii distinctione utuntur, nam ad liberum indirectum non existimant esse necessarium

præceptum, ad voluntarium autem esse: atque ita aliquid esse liberum isto modo, quod non est voluntarium, ita Medina, citato loco D. Thomæ, et fundari potest, quia in dicto exemplo, quando non teneor subvenire proximo morienti, mors ejus mihi est libera, quia possum illam vitare et non vitare: non est autem voluntaria, quia non est a me volita, neque effecta.

6. In hac re advertendum est in hoc genere *voluntarii indirecti* aliquid posse considerari, ut in se voluntarium, aliquid autem, ut voluntarium in alio. Voluntarium quidem in se est illud, quod est immediate in voluntatis potestate, qualis est actus liber elicitus, seu potius carentia ejus, hæc enim immediate est voluntaria ab ipsa voluntate, in qua ipsa inest immediate, et in ejus potestate existit. Potest etiam dici in se voluntarium hoc modo id quod immediate manat ab hac voluntate tanquam quid imperatum ab illa, ut quando quis non vult dare eleemosynam, seu indirecte vult carentiam actus eleemosynæ; ibi enim sunt duo, unum est carentia, seu suspensio interioris voluntatis, alterum est carentia, seu negatio exterioris actionis: utrumque ergo voco voluntarium in se, primum immediate per se, seu a voluntate, secundum mediate, seu ratione prioris omissionis, ad quam comparatur, vel tanquam objectum; vel tanquam actus imperatus ad elicitum; vel tanquam effectus per se ad causam voluntariam; nam, ut Aristoteles dixit, *sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio negationis*. Unde sicut in actibus positivis actus elicitus, et imperatus immediate sunt in se voluntarii directe, ille per se ipsum, hic vero per illum, ita in omissionibus oppositis his actibus eadem est proportionalis ratio quoad voluntarium indirecte: voluntarium autem in alio dicitur effectus subsecutus ex tali carentia actus imperati, vel elicitu, ut est mors, verbi gratia, vel submersio navis, quæ subsecuta est ex eo quod alius non subvenit, illa enim non est in se volita etiam indirecte, sed solum quatenus in alio priori volito virtute continetur.

7. Dicendum primo. Ut ommissio, aut carentia actus elicitu sit in se, et per se voluntaria indirecte, non est necessarium præceptum, sed satis est, quod homo sciens, et videns pro sua libertate non eliciat actum. Probatur, quia talis suspensio actus non est omnino necessaria, nec coacta, neque ab extrinseco: ergo eo modo quo est ab intrinseco ex cognitione, est voluntaria, nam quod est a voluntate cum cogni-

tione, id vocatur voluntarium: illa autem carentia actus eo modo, quo habet esse, est a voluntate directa per rationem judicantem in eo actu, vel objecto esse aliquid mali, vel saltem nihil esse, propter quod ex necessitate sit appetendum. Tandem, nam tunc homo omittit actum non quia cogitur, nec quia non potest: ergo quia vult saltem indirecte. Præterea hic urget illud argumentum quod adjuncto præcepto talis ommissio imputaretur ad culpam, sed tunc præceptum non causaret voluntarium, quia non causat aliquam connexionem inter illam suspensionem actus, et voluntatem, sed solum facit esse prohibitam illam actus suspensionem: ergo, secluso præcepto, illa esset per se voluntaria, quia voluntarium non consistit in hoc quod sit contra, vel juxta præceptum, sed in hoc quod sit a voluntate media cognitione. Unde confirmatur, nam per actum positivum certum est illam suspensionem posse esse directe voluntariam absque præcepto, vel in se, ut si quis directe vellet hodie non audire Missam, vel in alio, ut si quis hodie velit studere tempore quo posset audire sacrum, etiam cum sufficienti advertentia: ergo eadem ratione potest esse indirecte voluntaria, etiamsi non adsit præceptum. Vide D. Thomam 1, 2, quæst. 74, art. 5, ad 2, et in 2, disp. 35, art. 3, ad 5, ubi agens de hac suspensione actus dicit esse voluntariam, quia est in potestate voluntatis, et de præcepto nihil dicit.

8. *Secundum pronuntiatum*.—Dicendum secundo omissionem actus imperati, quæ immediate per se sequitur ex omissione actus elicitu, etiam esse voluntariam indirecte absque præcepto. Hæc conclusio sequitur ex præcedenti, nam sicuti actus imperatus denominatur voluntarius ab elicitu, ex quo immediate sequitur ita carentia actus elicitu: ergo si hæc est voluntaria, etiam illa. Item hæc carentia est a voluntate, ex regula illa Aristotelis, quod *sicut affirmatio*, etc., ergo est aliquo modo volita, et causeata per se, et vi suspensionis inferioris actus: ergo est voluntaria. Tandem hic possunt applicari omnes rationes factæ in priori conclusione.

9. *Tertium pronuntiatum*.—Dicendum tertio, quod quidquid per se ac simpliciter sequitur ex vi prioris omissionis actus elicitu, et imperati, est etiam voluntarium indirecte in alio, etiamsi præceptum non interveniat. Probatur ex dictis, præcedente sect., in 4 divisione; quia qui vult causam, vult etiam virtualiter effectum, qui ex vi illius per se, ac necessario sequitur, non ratione præcepti, sed ratione virtualis conti-

nentiæ unius in alio: ergo qui vult indirecte causam, vult etiam indirecte effectum in illa virtualiter contentum prædicto modo, nam ille effectus redundat in voluntatem causantem et volentem per se illum effectum: ergo est voluntarius, saltem indirecte, et in alio. Denique quoad hæc eadem est ratio de voluntario directo et indirecto.

10. *Quartum pronuntiatum*.—Unde quarto addendum est, si effectus sequatur per accidens ex omissione, seu carentia actus voluntatis, illum non esse voluntarium, nisi præceptum interveniat. Hoc constat ex dictis in illa 4 divisione, nam quoad hoc eadem est ratio de voluntario in alio per actum positivum, vel per carentiam actus, quia talis effectus per accidens non est a voluntate, ut a causa physica, cum per accidens sequatur. In quo differt multum ab ipsa omissione, seu carentia actus, nam illa per se est a voluntate libera, eo modo quo habet esse: neque etiam talis effectus est a voluntate, ut a causa morali, si ad illam non pertineat vitare, seu impedire illum effectum. Et hoc etiam probant exempla adducta n. 4, in priori sententia: at vero quando intervenit præceptum, jam effectus prohibitus pertinet ad voluntatem, ut ad causam moralem, et censetur moraliter unum quid cum ipsa omissione, et ideo si ommissio est voluntaria, in illa est etiam voluntarius effectus inde secutus, unde fit, in universum loquendo, nullum effectum positivum esse hoc modo indirecte voluntarium, nisi intercedat præceptum, quia effectus positivus nunquam per se sequitur ex carentia actus, quia causa privativa, ut sic, non potest per se influere in effectum positivum. Exemplum est in gubernatore navis, qui non subvenit existentibus in periculo submersionis, nam illa submersio est effectus positivus, qui per accidens sequitur ex negatione auxilii alterius, et ideo si ille teneatur succurrere, et non faciat, illa submersio est illi prædicto modo voluntaria, si autem non est voluntaria, non est volita, sed permissa: secus vero est de effectu privativo, nam una privatio per se potest sequi ex alia.

11. *Instantia contra nunc dicta*.—Dices, ergo in prædicto casu, et quodcumque homo non subveniat homini existenti in periculo mortis, vel certe si quis non comedat, ita ut se mori permittat, in his casibus mors erit voluntaria, quia est privatio quædam, quæ ex alia privatione voluntaria sequitur. Respondetur negando consequentiam nisi interveniat obligatio, quia quamvis mors sit privatio, non est

necesse ut per se sequatur ex quacumque alia privatione eo vel maxime, quia nunquam sequitur immediate ex negatione auxilii, sed mediante aliqua actione physica et positiva, vel aquæ suffocantis, vel caloris, aut alterius agentis alterantis corpus, quæ actio positiva non sequitur per se ex priori omissione.

12. *Quintum pronuntiatum bipartitum*.—Ultimo dicendum, in hac re idem esse de libero et de voluntario, nullum enim est liberum indirectum, quod non sit etiam voluntarium, neque etiam e contrario. Prior pars ratione supra facta convinci potest, nam quod est liberum, eo modo quo est, necessario esse debet a libero arbitrio; sed liberum arbitrium essentialiter est voluntas: ergo esse debet a voluntate: ergo oportet ut sit voluntarium. Deinde probatur facta inductione explicando rem ipsam, cum ommissio, seu carentia actus liberi, sicut est libera, ita etiam est voluntaria, ut ostensum est, ideo enim est libera, quia est in potestate voluntatis potentis facere actum, et non facere, quæ humano modo, et cum sufficienti cognitione illum impedit, sed hoc ipsum satis est ad voluntarium indirectum, ut dixi: si vero sit sermo de effectum, jam etiam ostendi quando per se sequitur, vel etiam per accidens interveniente præcepto, illum esse voluntarium, sicut etiam est liber: at vero quando est effectus per accidens, et non intervenit præceptum, tunc non magis potest dici effectus liber, quam voluntarius: interrogo enim, si dicatur liber ille effectus, quid illa voce significetur: aut enim quod fit libere permissus, et hoc modo dicitur etiam voluntarius, quia etiam est voluntarie permissus: aut significatur, quod est libere factus: vel volitus, et hoc est falsum, quia neque est factus, nec volitus, ut dixi, a tali voluntate: ergo. Unde explicatur aliter, quia duobus modis potest dici effectus mihi liber in actu primo, qui tantum significat aptitudinem, seu potestatem: scilicet vel ex parte objecti, quatenus est diligibile, sive factibile a libero arbitrio: vel ex parte voluntatis, quæ potest illud velle et nolle. Atque si hoc modo dicatur ille effectus liber, est extra rem, quia agimus de libero in actu secundo: et præterea illo modo etiam potest dici voluntarius ille effectus aptitudine, seu in actu primo. Alio modo dicitur effectus liber in actu secundo, et ad hoc necesse est, ut sit a voluntate libera actualiter, et sic non potest dici liber, sicut nec voluntarius, quia revera non est a voluntate: nullum ergo est liberum indirectum, quod non sit voluntarium.

13. *Posterior pars pronuntiati.* — Atque in præsentī fit etiam conversio, ut in posteriori parte conclusionis dixi, quod nullum sit voluntarium indirectum, quod non sit etiam liberum. Et ratio est, quia hoc liberum indirectum immediate fundatur in potestate, quam habet voluntas ad suspendendum actum suum positīs requisitis ad agendum: fundatur ergo in voluntate: imo hoc voluntarium est quoddam actuale exercitium libertatis, et ideo fieri non potest quin sit etiam liberum: unde hæc est differentia inter positivam actionem et suspensionem actionis ab intrinseco, quod illa esse potest, et a causa indifferente, et a causa determinata ad unum: hæc vero tantum esse potest a causa indifferente. Ad argumenta aliarum opinionum in n. 4 et 5 satis est responsum ex dictis. D. Thomas autem explicandus est iuxta quartum pronuntiatum, quando enim requirit præceptum ad hoc voluntarium indirectum, non loquitur de carentia actus, sed de positivo effectu, qui ex illa sequitur.

SECTION VI.

In quibus rebus inveniatur voluntarium.

1. *Cur sola causa materialis et efficiens voluntarii nunc tractentur.* — Explicata ratione voluntarii, et variis modis ejus, sequebatur dicendum de causis, effectibus et proprietatibus voluntarii. Sed de hac postrema parte tractat D. Thomas, 1, 2, q. 7, de effectibus autem nullum fecit specialem sermonem: nam fere ea omnia, quæ de actibus humanis dicenda sunt, pertinent ad effectus voluntarii et liberi: inter causas vero formales nulla est diversa ab ipsa ratione voluntarii, præsertim cum actus voluntarius ipse sit forma, et actus ultimus: finalis vero causa satis est explicata in principio hujus materiæ, tract. 1, disp. 2, ubi ostendimus actus humanos, seu voluntarios esse propter finem: et hac ratione diximus etiam in superioribus, voluntarium oriri ex cognitione, quia finis non movet nisi cognitus. Dicendum ergo est de causa materiali, seu subjectiva, cum qua fere coincidit causa efficiens, quia voluntarium cum per se primo reperiatur in actu vitali et immanenti, ab eodem fit, in quo subjectatur.

2. *In quibus suppositis subjectetur voluntarium.* — De perfecto. — De imperfecto. — Possumus autem triplex subjectum voluntarii distinguere, unum remotum, quod est suppositum, aliud propinquius, quod est potentia, aliud

proximum et immediatum, quod est ipse actus. De primo supposita distinctione voluntarii in perfectum et imperfectum, dicendum breviter, voluntarium perfectum in solis rationalibus creaturis reperiri, quia in solis illis est perfecta cognitio, ex qua sequitur voluntarium perfectum, nam sola ratio cognoscit in objecto diligibili propriam rationem, propter quam potest appeti, vel non appeti. Voluntarium autem imperfectum reperitur in omnibus, quæ vivunt vita saltem sensitiva, non autem in reliquis, quæ cognitione carent: utrumque facile constat, nam voluntarium, ut dixi, sequitur cognitionem: non ergo potest esse in rebus, quæ cognitione carent, sed est in eis appetitus innatus, et motus naturalis. At vero quæ participant cognitionem, saltem sensitivam, possunt proprio appetitu a se elicto ferri in res cognitās, et ex illo appetitu moveri, atque ita aliquo modo voluntarie operari. Ex quibus colligitur ex divisionibus voluntarii positīs, sect. 4, duas primas habere locum in utroque voluntario, perfecto et imperfecto, atque adeo omnia illa membra, etiam in brutis suo modo inveniri, nam in eis esse potest voluntarium objectivum, et causale, et voluntarium intrinsece, et per intrinsecam denominationem, duæ autem divisiones sequentes solum voluntario perfecto attribui possunt, unde omnia illa membra solum in rationalibus reperiuntur, nam in solis illis solum esse potest voluntarium indirectum, nam hoc, ut dixi, libertatem requirit: libertas autem non est sine ratione: voluntarium etiam in alio supponit potestatem cognoscendi quomodo possit unum ex alio sequi, vel in alio contineri: quam rerum comparisonem sola ratio efficere potest, et ideo hi duo modi voluntarii, sunt omnino proprii personæ rationales.

3. *In qua potentia subjectetur voluntarium.* — De secundo, seu proprio subjecto nihil fere occurrit dicendum, nam constat ex dictis appetitum vitæ esse hujusmodi subjectum voluntarii, appetitum quidem rationalem voluntarii perfecti, appetitum autem sensitivum, vel rationalem, etiam imperfecto modo operantem, voluntarii imperfecti: nam licet actiones aliarum facultatum denominentur voluntariæ, tamen hæc denominatio provenit ab actu proprio, et elicto ab appetitu vitali, et ideo ipsum voluntarium proprium in illo subjectatur, non in aliis facultatibus, quæ motioni illius subduntur.

4. *In quo actu subjectetur.* — Intentio præstat electioni in ratione voluntarii. — In ratione ta-

DISPUTATIO II.

DE INVOLUNTARIO VIOLENTO ET COACTO.

Oppositorum cognitio ad eandem doctrinam pertinet, et alterius notitia ad alterum perfectius cognoscendum conducit, et ideo post declaratum voluntarium dicendum consequenter est de involuntario illi opposito, nam illius scientia multum ad res morales necessaria est, de quo eadem fere tractanda occurrunt, quæ de voluntario, et quoniam fere nunquam involuntarium reperitur sine aliqua vi, vel coactione, ideo hæc erunt explicanda simul.

SECTIO I.

Quid sit involuntarium simpliciter, et quomodo se habeat ad coactum et violentum.

1. *Involuntarii triplex acceptio.* — In hac questione præcipue explicanda est ratio, et propria significatio harum vocum, et quomodo eis uti debeamus, ne in æquivoco laboremus. Circa involuntarium igitur advertendum est tribus modis dici posse, scilicet, negative, privative et contrarie. Primo modo involuntarium dicit tantum negationem voluntarii, quæ significatio est valde impropria et inusitata: sic enim involuntarium tribui poterit rebus inanimatis, et actionibus naturalibus, quæ a voluntate neque eliciuntur, neque imperantur, quod tamen non est in usu. Involuntarium privative dicit etiam negationem voluntarii, tamen in subjecto capaci oppositi voluntarii, quomodo ad involuntarium non requiritur quod sit contra positivum impetum, seu appetitum voluntatis, sed satis est, quod non sit ex voluntario consensu, quem ipsa voluntas posset habere, et hoc etiam nisi aliquid aliud addatur, non est proprie involuntarium, ut sumitur ex Aristotele, Ethicor., cap. 1. Proprie igitur involuntarium sumitur contrarie, et est illud quod est contra positivum actum, seu appetitum elicitum voluntatis, ut satis patet ex ipsa nominis significatione.

2. *Dubium contra involuntarium nunc explicatum.* — Quæri potest qualisnam debeat esse actus voluntatis cui hoc involuntarium opponitur, ut proprie, ac contrarie tale sit: et est ratio dubii, quia duplex potest esse hujusmodi actus voluntatis, unus absolutus, qui explicatur hac voce, *nolo*: alius conditionatus, seu secundum quid, qui explicatur hac voce

men liberi se mutuo superant. — Ex quibus constat, quid sit dicendum de tertio puncto, nam sicut solus actus elicitus a voluntate, vel appetitu, est per se intrinsece voluntarius, ita ratio voluntarii in solo hujusmodi actu proprie et immediate inest: Atque hinc etiam fit omnem hujusmodi actum posse esse capacem hujusmodi voluntarii. Solum est advertenda differentia inter actus appetitus et voluntatis, nam in appetitu omnes actus sunt, ut ita dicam, quædam simplices tendentiæ in objecta, ita ut unus non oriatur proprie ex intentione objecti alterius, sed ex simplici objecti propositione: unde fit, ut omnes quantum est ex parte appetitus, sint æque voluntarii, si cætera sint paria. At vero in voluntate est quædam origo unius actus ab alio in quantum voluntas ex intentione finis eligit media, et hinc fit, ut intentio sit perfectius voluntaria, quam electio, quia propter quod unumquodque tale, et illud magis; intentio autem finis est per se voluntaria, electio vero medii, propter intentionem finis: ergo hæc intentio est perfectiori modo voluntaria, sicut finis ipse est magis appetibilis quam medium, quia est per se appetibilis, medium autem propter ipsum. Secus tamen esse videtur in ratione liberi, in qua videntur se mutuo separari hi duo actus sub diversis rationibus: electio autem communiter existimatur communiter magis libera, quam intentio: nam intentio finis immediate oritur ex appetitu naturali voluntatis ad bonum: electio autem oritur ex proprio appetitu ab ipso operante concepto, et ideo, ut intra videbimus, dici solet voluntas se ipsam movere in electione mediorum: in intentione autem finis, moveri ab auctore naturæ, et ideo etiam dixit Aristoteles, 3, Ethic., cap. 4, consultationem proprie esse de mediis, non de fine. Ex consultatione vero oriri videtur maximus usus libertatis, unde quanto plura media, magisque similia, vel æqualia per consultationem inveniuntur, tanto major libertas in electione reperitur. Aliunde vero habet intentio aliquid majoris libertatis, in quantum ipsa immediate oritur ex libera voluntate: electio autem habet quamdam necessitatem ab intentione, nam illa stante, necesse est electionem fieri, vel unius medii determinate, si illud tantum inveniatur, vel saltem alicujus medii proportionati, si plura sunt.